

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1565

Liber X.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-724041)

CICERONIS EPISTOLARVM

AD PLANCVM, ET ALIOS,

LIBER X.

ARGVMENTVM.

Inuehitur in Antonii immoderatam potentiam : & Plancum, transalpinam Galliam, quam ultimam Cicero uocat, administrantem, hortatur, ut in rep. omni cogitatione studioque incumbat. postremo, agit gratias de Furnio honorifice tractato.

Cicero s. D. L. Munatio Planco
imp. cos. des.

T A B V L I, proficiscens in Graeciam:

E & , postea quam de medio cursu reip. sum uoce reuocatus, numquam per M.

Antonium quietus fui: cuius tanta est non insolentia, (nam id quidem uulgare uitium est) sed immanitas, non modo ut uocem, sed ne uultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. itaque mihi maximae curae est? non de mea quidem uita, cui satisfeci uel aetate, uel factis, uel, si quid etiam hoc ad rem pertinet, gloria: sed ne patria sollicitat, in primisq. mi Plance expectatio cōsulatus tui: quae ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus reip. spiritum ducere. quae potest enim spes esse in ea rep. in qua hominis impotentissimi, atque intemperantissimi armis opressa sunt omnia? & in qua nec senatus, nec populus uim habet ullam? nec leges ullae sunt, nec iudicia, nec omnino simulacrum aliquod, aut uestigium ciuitatis? Sed, quando

uide l. 3. de off.
in extremo. &
hic ep. 25. l. 12.
et. 17. ad. M.
Brutum.

erat enim Plan-
cus consul desi-
gnatus cum D.
Bruto: ut Anto-
nium & Dola-
bellam sequerē-
tur Hirrius &
Pansa, Hirrium
& Pansam Plan-
cus & Brutus.
ep. 14. lib. 4.

acta



acta omnia mitti ad te arbitrabar; nihil erat, quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem a tua pueritia susceptum non seruavi solum, sed etiam auxi; monere te, atque hortari, ut in reip. omni cogitatione, curaq. incumberes. quae si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est: ut perducatur autem, magnae tum diligentiae est, tum etiam fortunae. sed & te aliquanto ante, ut spero, habebimus: & praeterquam quod reip. consulere debemus, tamen tuae dignitati ita fauemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus. ita facillime & reip. quae mihi carissima est, & amicitiae nostrae, quam sanctissime nobis colendam puto, me intelligo satisfacturum. Furnium nostrum tanti a te fieri, quantum ipsius humanitas, & dignitas postulat, nec miror, & gaudeo: teq. hoc existimare uolo, quidquid in eum iudicij, officijq. contuleris, id ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse. Vale.

ARG. Excusat se, quod in senatum ad agendam Planci causam non uenerit: & officium suum pollicetur in iis rebus, quae praesentiam suam requirere uidebuntur.

Cicero s. D. Planco imp. cos. des. 2

MEVM studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tuto in senatum, aut honeste uenire potuissem. sed nec sine periculo

Z lo

epist. 3.

ad eum annum, quo eris consul.

Planci legatum. ep 8.

idem aliis uerbis hic. ep. 10. lib. 3. & 1. lib. 10. ad Att. et Phil. l. xi. et in Hortensio.



propter Anto-
nii consulis ar-
ma. uide Philip-
picam 2.

respondet ad il-
lud, tuto, & ho-
nefte.

humanitatem
potius, quam
largitionem, si-
gnificat, ut ep.
7. lib. 1. & 9. 15.

epist. 1.

lo quisquam, libere de rep. sentiens, uersari po-
test in summa impunitate gladiatorum: nec nostrae
dignitatis uidetur esse, ibi sententiam de rep. di-
cere, ubi me & melius, & propius audiant ar-
mati, quam senatores. quapropter in priuatis
rebus nullum neque officium, neque studium me-
um desiderabis: ne in publicis quidem, si quide-
rit, in quo me interesse necesse sit, umquam deo-
ro, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuae.
in ijs autem rebus, quae nihilo minus, ut ego ab-
sim, confici possunt, peto a te, ut mei rationem ha-
bere uelis & salutis, & dignitatis meae. Vale.

ARG. Aucupatur beneuolentiam Planci, partim laudi-
bus, partim commemoratione ueteris amicitiae: & horta-
tur, ut rep. suscipiat, ueritus id, quod accidit, ne se cum
Antonio coniungeret.

Cicero s. d. Planco imp. cos. des. 3

CUM ipsum Furnium per se uidi libentissi-
me, tum hoc libentius, quod, illum audiens, te
uidebar audire. nam & in re militari uirtutem,
& in administranda prouincia iustitiam, & in
omni genere prudentiam mihi tuam exposuit: et
praeterea mihi non ignotam in consuetudine, &
familiaritate suauitatem tuam adiunxit, prae-
terea, summam erga se liberalitatem. quae om-
nia mihi iucunda, hoc extremum etiam gratum
fuit. Ego, Plance, necessitudinem constitutam
habui cum domo uestra ante aliquanto, quam tu
natus es; amorem autem erga te ab ineunte pue-
ritia tua, confirmata iam aetate familiaritatem;

CUM

cum studio meo, tum iudicio tuo constitutam. his de causis mirabiliter faueo dignitati tuae: quam mihi tecum statuo esse communem. Omnia summa consecutus es, uirtute duce, comite fortuna; eaq. es adeptus adolescens, multis inuidentibus, quos ingenio, industriaq. fregisti. nunc me, amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi uetustate necessitudinis potior possit esse, si audies: omnem tibi reliquae uitae dignitatem ex optimo reip. statu acquires. Sic profecto, (nihil enim te fugere potuit) fuisse quoddam tempus, cum homines existimarent, te nimis seruire temporibus. quod ego quoque existimarem, si te ea, quae patiebare, probasse etiam arbitrarer. sed, cum intelligerem, quid sentires; prudenter te arbitrabar uidere, quid posses. nunc alia ratio est omnium rerum. tuum iudicium est, idq. liberum. consul es designatus, optima aetate, summa eloquentia, maxima orbitate reip. uirorum talium. incumbere, per deos immortales, in eam curam, & cogitationem, quae tibi summam dignitatem, gloriam afferat. unus autem est, hoc praesertim tempore, per tot annos rep. deuexata, reip. bene gerendae cursus ad gloriam. Haec amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quam quod arbitrarer te monitis, & praeceptis meis egere. sciebam enim, ex iisdem te haec haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. quare modum faciam. hoc tan-

lib. 2. ep. 15 dixit, eadem sententia, Caesarem honestum esse cupio.

eodem modo locutus est lib. 4. epist. 3. et infra ep. 29.

quia fuerat C. Caesaris amic. de bel. ci. Gal. ep. 23. & legatus. Caesar l. 1. de bel. ci. & 5. de bel. Gal. excusatio, quae incitationis uim habet. a necessitate, & reip. tempore,

ep. 4. l. 4.

ex ijs scilicet libris, quibus ad laudem praecepta traduntur.

Z 2 tum

rectificari amo-
rem, dixit ep. 4.
lib. 2.

tum significandum putavi, ut potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam. Interea, quae ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiose, diligenterque curabo. Vale.

A R G. Agit gratias Ciceroni, quod eum ad uerissimae gloriae studium cohortatus sit: seq. in reip. potestate totum fore pollicetur.

Plancus s. D. Ciceroni.

4

tua manu, cum
alioqui amanu-
ensi uti soleres.

causae tres amo-
ris. ideo dixit
infra, ep. 6. pro
plurimis no-
stris necessitu-
dini bus.

de tuo animo
ex meo iudicio,
ex animo meo
tuum spectro.

GRATISSIMAE mihi tuae litterae fuerunt, quas ex Furnij sermone te scripsisse animaduerti. ego autem praeteriti temporis excusationem affero, quod te profectum audieram, nec multo ante redisse sciui, quam ex epistola tua cognoui. nullum enim in te officium; ne minimum quidem, sine maxima culpa uideor posse praeterire. in quo tuendo habeo causas plurimas, uel paternae necessitudinis, uel meae a pueritia obseruantiae, uel tui erga me mutui amoris. quare, mi Cicero, quod mea, tuaque patitur aetas, persuade tibi te unum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem. omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentiae plena, quae summa est, uidentur, quam fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. Quare, si aut aliter sentirem, certe admonitio tua me reprimere: aut, si dubitarem, hortatio impellere posset, ut id sequerer, quod tu optimum putares. nunc uero quid est, quod me in aliam partem

tem trahere possit? quaecumque in me bona sunt, aut fortunae beneficio tributa, aut meo labore parta, etsi a te propter amorem carius sunt aestimata, tamen uel inimicissimi iudicio tanta sunt, ut, praeter bonam famam, nihil desiderare uideantur. Quare hoc unum tibi persuade, quantum uiribus eniti, consilio providere, auctoritate mouere potuero, hoc omne reip. semper futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus: neque, si facultas, optabilis mihi quidem, tui praesentis esset, umquam a tuis consilijs discreparem: nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere iure possis. Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citiore, quid in urbe Ianuario mense geratur, ut sciam. interim maximam hic sollicitudinem, curamq. sustineo, ne inter aliena uitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem. quod si, proinde ut ipse mereor, mihi successerit: certe et tibi, cui maxime cupio, & omnibus uiris bonis satisfaciam. Fac ualeas, meq. mutuo diligas.

quam adeptus
fortasse non
sum; cū ea gef.
ferim Caesare
dominante.

cui praerat
D. Brutus
a nouis consuli
bus: qui Kal.
Ian. magistra-
tum inibant.
& proinde, &
perinde uete-
res dicebant, ea
dem significa-
tione. Tusc. 1.
& alibi.

A R, G. Hic quoque Plancum ad suscipiendam, tuendamq. remp. gloriae stimulus incitat.

Cicero s. D. Planco imp. cos. des. 5

BINAS a te accepi litteras eodem exemplo: quod ipsum argumento mihi fuit diligentiae tuae. intellexi enim te laborare, ut ad me tuae expectatissimae litterae perferrentur. ex quibus cepi fructum duplicem, mihiq. in comparatione

binas litteras,
non duas, d. u.
& , duas episto-
las, non binas,
nescire puto
neminem.

Z 3 diffi-

difficilem ad iudicandum, amorem ne erga me
 tuum, an animum in remp. pluris aestimandum
 putarem. est omnino patriae caritas, meo quidem
 iudicio, maxima: sed amor, uoluntatisq. coniun-
 ctio plus certe habet suauitatis. itaque comme-
 moratio tua paternae necessitudinis, beneuolen-
 tiaeq. eius, quam erga me a pueritia contulisses,
 ceterarumq. rerum, quae ad eam sententiam per-
 tinebant, incredibilem mihi laetitiam attulerunt.
 rursus declaratio animi tui, quem haberes de
 rep. quemq. habiturus esses, mihi erat iucundis-
 sima: eoq. maior erat haec laetitia, quod ad illa
 superiora accedebat. Itaque te non hortor solum,
 mi Plance, sed plane etiam oro; quod feci ijs lit-
 teris, quibus tu humanissime respondisti; ut to-
 ta mente, omniq. animi impetu in remp. in-
 cumbas. nihil est, quod tibi maiori fructui, glo-
 riaeq. esse possit: N E C quidquam ex omnibus
 rebus humanis est praeclarius, aut praestantius,
 quam de rep. bene mereri. adhuc enim patitur,
 tua summa humanitas, & sapientia, me, quod
 sentiam, libere dicere. Fortuna suffragante, ui-
 deris res maximas consecutus. quod quamquam
 sine uirtute non potuisses: tamen ex maxima
 parte ea, quae es, adeptus, fortunae, temporibusq.
 tribuuntur. his temporibus difficillimis,
 reip. quidquid subueneris, id erit totum, &
 proprium tuum. Incredible est omnium ciuium,
 latronibus exceptis, odium in Antonium. ma-
 gna

uere: non tamē
 plus amoris. nā
 patria & paren-
 tibus, & liberis,
 non modo ami-
 cis, in amore
 praefertur, ita
 que l. 1. de off.
 Omnes, inquit,
 omnium carita-
 tes una patria
 complectitur.

supra, ep. 3. uir-
 tute duce, comi-
 te fortuna.
 quod ea ob ami-
 citiam Caesaris
 uidearis affecu-
 tus. ep. seq.

gna spes in te, & in tuo exercitu, magna exspectatio: cuius, per deos, gr̄atiae, gloriaeq. caue tempus amittas. sic moneo, ut filium: sic faueo, ut mihi: sic hortor, ut & pro patria, & amicissimum. Vale.

AR G. Cum Plancus, litteris ad senatum scriptis, pacē cum Antonio suasset; suadet Cicero, ut pacem armis potius, quam pactione, quaerat; & ut se, a societate malorum ciuium aliquando sciungens, totum ad remp. transferat.

Cicero s. D. Planco imp. cos. des. 6

QVAE locutus est Furnius noster de animo tuo in remp. ea gratissima fuerunt senatui, populoq. R. probatissima. quae autem recitatae sunt litterae in senatu, nequaquam consentire cum Furnij oratione uisae sunt. pacis enim auctor eras; cum cōlega tuus, uir clarissimus a foedissimis latronibus obsideretur. qui aut, positis armis, pacem petere debent: aut, si pugnantes eam postulant, uictoria pax, non pactione, pariēda est. sed de pace litterae uel Lēpidi, uel tuae, quam in partem acceptae sint, ex uiro optimo, fratre tuo, & C. Furnio poteris cognoscere. me autem impulit tui caritas, ut, quamquam nec tibi ipsi consilium deesset, & fratris, Furnijq. beneuolentia, fidelisq. prudentia tibi praesto esset futura, uellem tamen meae quoque auctoritatis pro plurimis nostris necessitudinibus praeceptum ad te aliquod peruenire. Crede igitur mihi, Plance, omnes, quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis, (es autem adeptus am-

Z 4 plissimos)

quam, suscepto reip. patrocinio, inibis apud omnes bonos. idem infra, ep. 19.

Planci legatus, Ciceronis studiosissimus. ep. xi. huius lib.

D. Brutus, quē M. Antonius Mutinē obsidebat.

postea quoque pacem suavit. uide litteras eius publice missas ep. 27. et 35.

trēs enumerat ep. 14. lib. 4

ep. 3. & 4.

argumentum a
spe gloriae du-
ctum. consulē
enim fieri, ita
preclarum est,
si cōsulare mu-
nus pro digni-
tate, ac salute
reip. iustine-
tur.

Phil. 1.8, et pro
Balbo.

anthytera.
in Oratore.

cur non statim
post obitū Cae-
saris pro liber-
tate arma cepe-
rim.

plissimōs) eos honorum uocabula habituros, non
dignitatis insignia, nisi te cum libertate populi
R. & cum senatus auctoritate coniunxeris.
seiuunge te, quaeso, aliquando ab ijs, cum qui-
bus te non tuum iudicium, sed temporum uin-
cula coniunxerunt. cōmplures in perturbatio-
ne reipublicae consules dicti: quorum nemo con-
sularis habitus, nisi qui animo exstitit in reip.
consulari. talem igitur te esse oportet, qui pri-
mum te ab impiorum ciuium, tui dissimillimo-
rum, societate seiungas; deinde, te senatui, bo-
nisq. omnibus auctorem, principem, ducem
praebeas; postremo, ut pacem esse iudices non in
armis positus, sed in abiecto armorum, & serui-
tutis metu. haec si & ages, & senties: tumeris
non modo consul, & consularis, sed magnus
etiam consul, & consularis. sin aliter: tum in
istis amplissimis nominibus honorum non modo
dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas.
Haec impulsus beneuolentia scripsi paullo seue-
rius. quae tu in experiendo, ea ratione, quae te
digna est, uera esse cognosces. XIII. Kal. Apr.

ARG. Exponit, cur breuior sit haec epistola, & cur stur-
ditum suum in reip. serius patefecerit: suamq. dignitatem
Ciceroni commendat.

Plancus imp. cos. des. Ciceroni. s. D. 7

PLURA tibi de meis cōsilijs scriberem,
rationemq. omnium rerum redderem uerbosius,
quo magis iudicares omnia me reip. praestitisse,
quae

quae & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi: (non minus enim a te probari, quam diligi, semper uolui: nec te magis in culpa defensorem mihi parauit, quam praedicatorem meritorum meorum esse uolui) sed breuiores me duae res faciunt; una, quod publicis litteris omnia sum persecutus; altera, quod M. Varisidius, equitem Romanum, familiarem meum, ad te ipsum transire iussi, ex quo omnia cognoscere posses. Non mediisfidius mediocri dolore afficiebar, cum alij occupare possessionem laudis uiderentur: sed usque mihi temperaui, dum perducerem eorum, ut dignum aliquid et consulatione meo, & uestra expectatione efficerem. quod spero, si me fortuna non fefellerit, me consecuturum: ut, maximo praesidio reip. nos fuisse, & nunc sentiant homines, et in posterum memoria teneant. A te peto, ut dignitati meae suffrageris; & quarum rerum spe ad laudem me uocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. non minus posse te, quam uelle, exploratum mihi est. Fac ualeas, meq. mutuo diligas.

A R G. Causas affert, quibus adductus non ita mature, ut homines expectabant, defensorem se publicae libertatis professus sit: deq. exercitu suo, & statu prouinciae significat.

Plancus imp. cos. des. s. d. cos.

praet. trib. pl. s. p. p. l. q. r. §

S I cui sorte uideor, diutius et hominum expectationem, & spem reip. de mea uoluntate tenuisse

quem gesturus erat post Hirtium, et Pansam huius anni consules, post, cum iam a Caesare, ad Parthicum bellum ituro, designatus esset cum D. Bruto, sed, obciuile bellum, consulationum non nisi triennio post gessit.

Velleii uerba sunt lib. 2. Plancus diu, quantum esset partium, secum luctatus senatui se litteris uenditans, mox eiusdem proditor.

nunc, cum rep.
tuendam susci-
pio.

cū eo loco meę
res essent.

qualis seruitus
est.

hoc nec esse est
referri ad illud,
Opus fuit. non
enim cum, Ali-
quantum, con-
iungi potest. et
go non recte in
quibusdā libris,
Opus fuerunt.
septē etiā libri,
& duo Sigonia
ni habēt, Fuit.

tenuisse suspensam, huic prius excusandum me
esse arbitror, quam de insequenti officio quid-
quam ulli pollicendum. non enim praeteritam cul-
pam uideri uolo redemisse, sed optimae mentis co-
gitata iam pridem, maturo tempore enunciare.
Non me praeteribat, in tanta sollicitudine ho-
minum, & tam perturbato statu ciuitatis fru-
ctuosissimam esse professionem bonae uoluntatis:
magnosq. honores ex ea re complures consecutos
uidebam. sed, cū in eum casum me fortuna de-
misisset, ut aut, celeriter pollicendo, magna in
spe ad proficiendum impedimenta opponerem;
aut, si in eo mihi temperauissem, maiores occa-
siones ad opitulandum haberem: expeditius iter
communis salutis, quam meae laudis, esse uolui.
nam quis in ea fortuna, quae mea est, & ab ea
uita, quam in me cognitam hominibus arbitror,
& cum ea spe, quam in manibus habeo, aut sor-
didū quidquam pati, aut perniciosum concu-
piscere potest? sed aliquantum nobis temporis,
& magni laboris, & multae impensae opus fuit,
ut, quae reip. bonisq. omnibus polliceremur,
exitu praestaremus; neque ad auxilium patriae
nudi cum bona uoluntate, sed cum facultatibus
accederemus. confirmandus erat exercitus no-
bis, magnis saepe praemijs sollicitatus; ut a brep.
potius moderata, quam ab uno infinita, spera-
ret. confirmandae complures ciuitates, quae su-
periore anno largitionibus, concessionibusq. prae-
miorum

miorum erant obligatae; ut & illa uana putarent, & eadem a melioribus auctoribus petenda existimarent. eliciendae etiam uoluntates reliquorum, qui finitimis prouincijs, exercitibusq. praesuerunt; ut potius cum pluribus societatem defendendae libertatis iniremus, quam cum paucioribus funestam orbi terrarum uictoriam pareremus. muniendi uero nosmet ipsi fuimus, aucto exercitu, auxilijsq. multiplicatis; ut, cum praesferremus sensus aperte, tum, etiam inuitis quibusdam, sciri, quid defensuri essemus, non esset periculosum. itaque numquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum consiliorum peruenirem, & simulasse inuitum, & dissimulasse cum dolore; quod, praematura denuntiatio boni ciuis imparati quam periculosa esset, ex casu collegae uidebam. quo nomine etiam C. Furio legato, uiro forti, atque strenuo, plura etiam uerbo, quam scriptura, mandata dedimus; ut & tectius ad uos perferrentur, & nos essemus tutiores: quibusq. rebus & communem salutem muniri, & nos armari conueniret, praecepimus. ex quo intelligi potest, curam reip. summe defendendae iam pridem apud nos excubare. nunc, cum, deum benignitate, ab omni re sumus paratiores, non solum bene sperare de nobis homines, sed explorate iudicare uolumus. legiones habeo quinque sub signis, & sua fide, uirtuteq. reip. coniunctissimas, & nostra liberalitate

difficilior enim paucis uictoria, quam multis.

ut haec ad exitum consilia perducerem.

D. Brutis qui, non dum firmo exercitu munitus, praemature suam uoluntatem studiumq. erga rem. aperuerat. itaque Mutinae obsesus a M. Antonio, & se ipsum, & rem. in discrimen adduxit.

quattuor memorat ep. 15. et 24.

ralitate nobis obsequentes : provinciam omnium
 ciuitatum consensu paratissimam , & summa
 contentione ad officia certantem : equitatus , au-
 xiliorumq. tantas copias , quantas hae gentes ad
 defendendam suam salutem , libertatemq. confi-
 cere possunt . ipse ita sum animo paratus uel pro-
 uinciam tueri , uel ire quo resp. uocet , uel trade-
 re exercitum , auxilia , provinciamq. ut uel om-
 nem impetum belli in me conuertere non recu-
 sem ; si modo meo casu aut confirmare patriae sa-
 lutem , aut periculum morari possim . haec si ,
 iam expeditis omnibus rebus , tranquilloq. statu
 ciuitatis , polliceor in damno meae laudis : reip.
 commodo laetabor . sin ad societatem integerri-
 morum , & maximorum periculorum accedam :
 consilia mea aequis iudicibus ab obtrectatione in-
 uidorum defendenda commendo . mihi quidem
 ipsi fructus meritorum meorum in reip. incolu-
 mitate satis magnus est paratus . eos uero , qui ,
 meam auctoritatem , & multo magis uestram
 fidem secuti , nec ulla spe decipi , nec ullo metu
 terreri potuerunt , ut commendatos uobis ha-
 beatis , petendum uidetur . Vale .

A R G. Suum studium erga reip. praesefert : modeste di-
 gnitatem suam commendat : quid egerit , quid acturus sit ,
 qualem ducat exercitum , significat .

Plancus imp. cos. des. s. D. Ciceroni. 9

siquidē ea prae-
 sto , quae sum
 pollicitus .

N I H I L me tibi tēmere scripsisse , aut te
 ceteris de me frustra recepisse , laetor . certe hoc
 maius

Antonio ad Mu-
 tinam profliga-
 to. in quo disce-
 prae uideba-
 tur omnis for-
 tuna reip. infra
 ep. 10.

maius habes testimonium amoris mei, quo maturius tibi, quam ceteris, consilia mea uolui esse nota. in dies uero meritorum meorum fieri accessiones, peruidere te spero, cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet, mi Cicero, (ita ab imminentibus malis resp. me adiuuante, liberetur) sic honores, praemiaq. uestra suspicio, conferenda certe cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio, perseverantiaq. sim remissurus, nisi in multitudine optimorum ciuium impetus animi mei fuerit singularis, & opera praecipua; nihil ad meam dignitatem accedere uolo suffragatione uestra. concupisco autem nihil mihi, contra quam ipse pugno. sed & temporis, & rei te moderatorem facile patior esse. **N**IL aut fero, aut exigue a patria ciui tributum potest uideri. Exercitum ad VI. Kal. Maias Rhodanum transieci. magnis itineribus Vienna equites mille uia breuiore praemisi. ipse, si a Lepido non impediar, celeritate satisfaciam: sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. copias adduco & genere, & numero, & fidelitate firmissimas. Te, ut diligas me, si mutuo te facturum scis, rogo. Vale.

ARG. Laudat Plancum de optima uoluntate, studioq. inaudae reip. praemiaq. illum a senatu honorificentissima sperare uult: operamq. in eo suam pollicetur: & hortatur, ut egregie pergat in rep. tuenda.

Cicero s. D. Planco imp. cos. des. 10
ET S I satis ex Furnio nostro cognoram;
 quae

eodem modo locutus est Cic. ep. 1. lib. 2.

quae praestare uidetur omnibus rebus.

& quo tempore, & quibus honoribus ornandus a uobis sim

infra, ep. 24.

quae tria in exercitu requiruntur.



ep. 27. lib. x1.

Mutinensi.

non, delibera-
tum, sed, confe-
ctum. Liu. l. 28.
decernere pu-
gnam.

aberat uterque
consul, cum ad
bellum contra
Antonium exi-
sent.

adhuc enim co-
natus tantum
audiuntur: ex-
spectatur ipsa
res.

tantum enim vo-
luntatem Plan-
cus ostenderat:
ut, si quid ei tri-
bueretur, inui-
tamentum, non
praemium, uide-
retur esse.

noti enim alter
alteri iam pri-
dem sumus. sic
etiā locutus est
infra, ep. 22. et
lib. 5. ep. 15.

quae tua uoluntas, quod consilium de rep. esset, ta-
men, lectis tuis litteris, liquidius de toto sensu tuo
iudicavi. quamobrem, quamquam in uno proelio
omnis fortuna reip. disceptat, quod quidem, cum
haec legeres, iam decretum arbitrabar fore: tamē
ipsa fama, quae de tua uoluntate percrebuit, ma-
gnam es laudem consecutus. itaque, si cōsulem
Romae habuissemus, declaratum esset a senatu cū
tuis magnis honoribus, quam gratus esset cona-
tus, & apparatus tuus. cuius rei non modo non
praeterijt tempus, sed ne māturum quidem etiam
nunc, meo quidem iudicio, fuit. IS ENIM deni-
que honos mihi uideri solet, qui non propter spem
futuri beneficij, sed propter magna merita claris
uiris defertur, & datur. quare, sit modo aliqua
resp. in qua honos elucere possit: omnibus, mihi
crede, amplissimis honoribus abundabis. IS A V-
TEM, qui uere appellari potest honos, nō inuitā-
mentū ad tempus, sed perpetuae uirtutis est prae-
mium. Quamobrem, mi Plance, incumbere toto
pectore ad laudem: subueni patriae: opitulare col-
legae: omnium gentium consensum, & incredibi-
lem conspirationem adiua. me tuorum consilio-
rum adiutorem, dignitatis fautorem, omnibus in
rebus tibi amicissimum, fidelissimumq. cognosces.
ad eas enim caussas, quibus inter nos amore su-
mus, officijs, uētustate coniuncti, patriae caritas
accessit; eaq. effecit, ut tuam uitam anteferrē
meae. 1V. Kal. Apr.

A R G.



ARG. Gratiar agit pro officiis, quae in ipsum Cicero contulerat: & de suo studio erga remp. omnia pollicetur.

Plancus s. d. Ciceroni. II

IMMORTALES ago tibi gratias, agamque dum uiuam: nam, relaturum me, affirmare non possum. tantis enim tuis officijs non uideor mihi respondere posse: nisi forte, ut tu grauissime, disertissimeq. scripsisti, ita sensurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Si de filij tui dignitate esset actum, amabilius certe nihil facere potuisses. Primae tuae sententiae infinitis cum muneribus, posteriores ad tempus arbitriumq. amicorum meorum compositae, oratio assidua & perpetua de me, iurgia cum obtrectatoribus propter me, notissima mihi sunt. non mediocris adhibenda mihi est cura, ut reip. me ciuem dignum tuis laudibus praestem, in amicitia tua memorem, atque gratum. Quod reliquum est, tuum munus tuere; & me, si, quem esse uoluisti, eum exitu, rebusq. cognoscis, defende, ac suscipe. Cum Rhodanum copias traiecissem, fratremq. cum tribus millibus equitum praemissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem; in itinere de proelio factio, Brutoq. & Mutina obsidione libertatis audini. adimaduerti nullum alium receptum Antonium, reliquiasque, quae cum eo essent, habere, nisi in his partibus: duasq. ei spes esse propositas, unam Lepidi ipsius, alteram exercitus; quod quaedam pars exercitus non minus furiosa est,

fic, immortaliter gaudeo, pro uehementissime.

Cicero dixit, assequi merita, ep. 4. lib. 1.

sacerdotium uideatur significare: de quo in epistola ad M. Brutum.

quas mei defendendi, atque ornandi partes iam suscepisti, eas ne deponere,

qui non essent erga remp. be-

ne animati, fur-
rioli diceban-
tur, & insani.
infra, eadem e-
pistola.

cuius erat prae-
cipua fortitu-
do. militauerat
autem in Gallia
cum Caesare.

nullas esse belli
reliquias, Anto-
nio ad Mutinā
fuso.

omnibus in re-
bus me fore in
tua potestate.
ep. 4. lib. 5.

uide infra, ep.
15. 18. & 20.

quia gloriae fo-
cium non ha-
bebo.

est, quam qui cum Antonio fuerunt. equitatum
renocari: ipse in Allobrogibus constiti; ut proin-
de ad omnia paratus essem, ac res me moneret.
si nudus huc se Antonius conseret; facile mihi ui-
deor per me sustinere posse, remq. publicam ex
uestra sententia administrare, quamuis ab exer-
citu Lepidi recipiatur. si uero copiarum aliquid
secum adducet; et si dēcima legio uēterana, quae
nostra opera renocata cum reliquis est, ad eun-
dem furorem redierit: tamen, ne quid detrimen-
ti fiat, dabitur opera a me: idq. me praestaturum
spero, dū istinc copiae transijciantur, coniunctaeq.
nobiscum facilius perditos opprimant. Hoc tibi
spondeo, mi Cicero, neque animum, neque dili-
gentiam mihi defuturam. cupio me hercules nūl-
lam residuam sollicitudinem esse: sed, si fuerit,
nec animo, nec beneuolentiae, nec patientiae cuius-
quam pro uobis cedam. do quidem ego operam,
ut etiam Lepidum ad huius rei societatem inci-
tem: omniaq. ei obsequia polliceor, si modo remp.
respicere uolet. ut or in hac re adiutoribus, inter-
pretibusq. fratre meo, & Laterense, & Fur-
nio nostro. non me impediēt priuatae offensio-
nes, quo minus pro reip. salute etiam cum inimi-
cissimo consentiam. quod si nihil profecero, nibi-
lo minus maximo sum animo; et māiore fortasse
cum mea gloria uobis satisfaciam. Fac ualeas,
meq. mutuo diligas.

AD PLANCVM, ET ALIOS. 177

ARG. Significat, quam gratae senatui fuerint eius litterae de apparatu, studioq. defendendae reip. quidq. ex eius litteris actū sit: & hortatur eum ad recuperandam libertatē.

Cicero s. d. Planco imp. cos. des. 12

ET SI reip. caussa maxime gaudere debeo, tantum eite praesidij, tantum opis attulisse extrémis paene temporibus: tamen, ita te uictorem complectar rep. recuperata; ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas affert, quam esse iam, & futuram amplissimam intelligo. cae enim putes ulla litteras umquam gratiores, quam tuas, in senatu esse recitatas. idq. contigit tum méritorum tuorum in reip. eximia quadam magnitudine, tum uerborum, sententiarumq. grauitate. quod mihi quidem minime nouum; qui & te nossem, & tuarum litterarum, ad me missarum promissa meminissem; et haberem a Furnio nostro tua penitus consilia cognita: sed senatui maiora uisa sunt, quam erant expectata: non quod umquam de tua uoluntate dubitasset: sed nec, quantum facere posses, nec, quo progredi uelles, exploratum satis habebat. itaque cum ad VII id. Apr. mane mihi tuas litteras M. Varisidius reddidisset, easq. legissem, incredibili gaudio sum elatus: cumq. magna multitudo optimorum uirorum, et ciuium me de domo deduceret; feci continuo omnes participes meae uoluptatis. interim ad me uenit Munatius noster, ut consueuerat: & ego ei litteras

AA tuas

cum ab interitu non longe abesset.

de quibus eae litterae loquebantur. infra, ep 16. & 19.

Planci cognatus. nā Plancus Munatorum cognomen.



Sulpiciae gen-
lis.
absentibus con-
sulibus praeto-
rum prima di-
gnitas. Phil. 14.
in extremo.

auspicato enim
senatus habe-
batur.
augurum. ep. 4.
lib. 15.

Isaurici filio,
qui consulatum
cum Caesare gef-
ferat.

de hoc Titio
Dio lib. 46.
senatus enim
in templis habe-
batur; & Iouis
templum erat
in Capitolio.

tuas ostendi. nihil dum enim sciebam: nam ad me
primum Varisidius: idque sibi a te mandatum esse
dicebat. paullo post idem mihi Munatius eas lit-
teras legendas dedit, quas ipsi miserat, & eas
quas publice placuit nobis, ut statim ad Cornu-
tum praetorem urb. litteras deferremus; qui
quod consules aberant, consulare munus susti-
nebat more maiorum. senatus est continuo con-
uocatus; frequensque conuenit propter famam,
atque expectationem tuarum litterarum. reci-
tatis litteris, oblata religio Cornuto est, pullario-
rum admonitu, non satis diligenter eum auspicijs
operam dedisse: idque a nostro collegio comproba-
tum est: itaque res dilata est in posterum. eo au-
tem die magna mihi fuit pro tua dignitate con-
tentio cum Seruilio. qui cum gratia effecisset ut
sua sententia prima pronunciaretur: frequens
eum senatus reliquit, & in alia omnia disces-
sit: meaeque sententiae, quae secunda pronun-
ciata erat, cum frequens assentiretur senatus,
rogatu Seruiliij P. Titius intercessit. res in po-
sterum dilata. uenit paratus Seruilius, Ioui
ipsi iniquus, cuius in templo res agebatur. hunc
quemadmodum fregerim, quantaque contentione
Titium intercessorem abiecerim, ex aliorum te
litteris malo cognoscere: unum hoc ex meis: sena-
tus grauior, constantior, amiciores tuis laudibus
esse non potuit, quam tum fuit. nec uero tibi se-
natus amiciores, quam cuncta ciuitas. mirabiliter
enim

enim populus R. uniuersus, & omnium generum, ordinumq. consensus ad liberandam remp. conspirauit. perge igitur, ut agis, nomenq. tuum commēda immortalitati: atque haec omnia, quae habent speciem gloriae, collecta inanissimis splendoris insignibus, contemne; breuia, fugācia, uide scholia. caduca existima. uerum DECVS in uirtute positum est, quae maxime illustratur magnis in remp. meritis. eam facultatem habes maximam: quam quando complexus es, tene; & per-
 fice ut ne minus resp. tibi, quam tu reip. debeas. me tuae dignitatis non modo fautorem, sed etiam amplificatorem cognosces. id tum reip. quae mihi est mea uita carior, tum nostrae necessitudini debere me iudico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam uoluptatem, quod bene cognitam mihi T. Munati prudentiam, & fidem, magis etiam perspe-
 xi in eius incredibili erga te beneuolentia, & diligentia. III. id. Apr. Vale.

ARG Scribit de S. C. in suam sententiam facto, ad augendam Planci dignitatem; hortaturque, ut Antoniani belli reliquias conficiat.

Cicero s. d. Planco imp. cos. des. 13

VT primum potestas data est augendae dignitatis tuae, nihil praetermissi in te ornando, quod positum esset aut in praemio uirtutis, aut in honore uerborum. id ex ipso S. C. poteris cognoscere: ita enim est perscriptum, ut a me descripto

AA 2 dicta

Phil. 13.
 idem fere aliis
 uerbis ep. 24. l.
 9. iutremo.

cū neque hic,
 neque supra fra-
 trem appellet,
 suspicor cogna-
 tū potius, quā
 fratrem esse L.
 Planci. eisi nō
 me praeterit, T.
 Munatium L.
 Planci oratoris
 fratrem, a Pedia-
 no nominari.

dicta sententia est: quam senatus frequens secutus est summo studio, magnoq. consensu. Ego, quamquam ex tuis litteris, quas mihi misisti, perspexeram te magis iudicio bonorum, quam in signibus gloriae delectari; tamen considerandum honoribus a se natu decreteris. nobis existimari, etiam si tu nihil postulares, id est, bellum iam quantum tibi a rep. deberetur. tu contexes extrema cum primis. qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. itaque Homerus non Aiacem, nec Achillem, sed Ulyssem appellavit $\mu\omicron\upsilon\lambda\iota\pi\omicron\theta\omicron\upsilon\nu$. Vale.

magna ex parte a consulibus profligatum, ipse conficiet. infra, ep. 19. & 20. Iliad. 3

ARG. Laudat Plancum de subsidio reip. ferendo; & hortatur, ut Antonium ad Mutinam fuscum persequatur, ac perdat.

Cicero s. d. Planco imp. cos. des. 14

Mutinensem, Antonio fugato.

praesenti periculo: quo boni ciues ad opem patriae ferendam impeluntur.

GRATAM famam biduo ante victoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis. atqui, etiam hostibus fuscis, spes omnis in te est. fugisse enim ex proelio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. EST autem non minus gratum extrema delere, quam prima depellere. equidem expectabam iam tuas litteras, idq. cum multis: sperabamq. etiam Lepidum, reip. temporibus admonitum, tecum & reip. satis esse facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne qua scintilla taeterimi belli relinquatur. quod si erit factum; & reip. diuino beneficio affeceris; & ipse aeternam gloriam consequere. III. id. Maij. Vale.

ARG.



ARG. Nunciat, quid ad opprimendum Antonium paret,
Plancus s. d. imp. Ciceroni. 15

HIS litteris scriptis, quae postea accidissent,
scire te, ad remp. putavi pertinere. Sédulitas mea, infra, ep. 20.
ut spero, & mihi, & reip. tulit fructum. nam-
que assiduis internuncijs cum Lepido egi, ut, omis-
sa omni contentione, réconciliataq. uoluntate no- supra, ep. 2. &
infra ep. 18. &
21.
stra, communi consilio reip. succurreret: se, li-
beros, urbem pluris, quam unum perditum, ábie- quia já proelio
Mutinensi fra-
ctus erat Anto-
nius.
ctumq. latronem, putaret: obsequioq. meo, si
ita faceret, ad omnes res abuteretur. profeci ita-
que per Laterensem internuncium: fidem mihi
dedit, se Antonium, si prohibere sua prauincia
non potuisset, bello persecuturum: me, ut ueni-
rem, copiasq. coniungerem, rogauit, eoq. ma-
gis, quod & Antonius ab equitatu firmus esse di- ep. 33. lib. 10.
& 10. lib. xi.
cebatur, & Lepidus ne mediocrem quidem equi-
tatum habebat: nam etiam ex paucitate eius,
non multis ante diebus, decem, qui optimi fue-
rant, ad me transferunt. Quibus rebus ego co-
gnitis, cunctatus non sum; in cursu bonorum con- dum Lepidus
bene de rep.
sentiret.
siliorum Lepidum adiunandum putavi. aduentus
meus quid profecturus esset, uidi: uel quod
equitatu meo persequi, atque opprimere equi-
tatum eius possem: uel quod exercitus Lepi-
di eam partem, quae corrúpta est, & ab rep. infra, ep. 21.
alienata, & corrigere, & coercere praesen-
tia mei exercitus possem. itaque in Isara, flumine
máximo, quod in finibus est Allobrogum, pon-

AA 3

te

Plinius Isaram
Rhodano com-
parat, lib. 3. c. 4



te uno die facto, exercitum ad IV. id. Maij traduxi. cum uero mihi nunciatum esset, L. Antonium, praemissum cum equitibus, & cohortibus, ad Forum Iulij uenisse: fratrem cum equitum quattuor millibus, ut occurreret ei, misi ad pridie id. Maij: ipse maximis itineribus cum quattuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu subsequar. si nos mediocris modo fortuna reip. adiuuerit: & audaciae perditorum, & nostrae sollicitudinis hic finem reperiemus. quod si latro, praecognito nostro aduentu, rursus in Italiam se recipere coeperit: Bruti erit officium occurrere ei; cui scio nec consilium, nec animum defuturum. ego tamen, si id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui sequatur, Italiam a uastatione defendat. Fac ualeas, meq. mutuo diligas.

ARG. Gratiissimas fuisse Planci litteras, maximeq. opportunas significat: eiq. auctor est, ut in rebus tam subitis consilium senatus ne expectet, ipse a sese consilium capiat.

Cicero s. D. Planco.

16

quoad meminisse homines possunt.

N I H I L post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere uidi, quam tuas, Plance, litteras. redditae sunt enim, frequenti seuatu, Cornuto, cum is frigidus sane, & inconstantes recitasset litteras Lepidi. sub eas statim recitatae sunt tuae, non sine magnis quidem clamoribus. cum rebus enim ipsis essent, & studijs, beneficijq. in reip. gratissimae; tum erant grauissimis

uide eandem sententiam su. 19, ep. 13 & infra ep. 19.

quinque nominantur ep. 8. huius libri, quattuor ep. 13. lib. xi.

Decimi Bruti, Galliae cisalpinae, praefecti.

mis uerbis, & sententijs. flagitare senatus institit Cornutum, ut referret statim de tuis litteris. ille se considerare ait uelle. cum ei magnum conuicium fieret cuncto a senatu, quinque tribuni pl. retulerunt. Seruilius rogatus rem distulit. ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum. ea quae fuerit, ex S. C. cognosces. Tu quamquam consilio non eges, uel abundas potius, tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc reijcias, ne ne in rebus tam subitis, tamq. angustiis a senatu consilium petendum putes. ipse tibi sis senatus. quocumque te ratio reip. ducet, sequare. cures, ut ante factum aliquid a te egregium audiamus, quam futurum putarimus. illud tibi promitto, quidquid erit a te factum, id senatum, non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum, comprobaturum. Vale.

ARG. Praesentem belli statum describit, cū excusatione fractis a se dimissi, & commendatione suae dignitatis.

Plancus imp. s. d. Ciceroni. 17

ANTONIUS idibus Maij ad Forum Iulij cum primis copijs uenit. Ventidius bidui spatium abest ab eo. Lepidus ad forum Voconij castra habuit: qui locus a Foro Iulij quattuor & uiginti milia passuum abest: ibiq. me expectare constituit, quemadmodum ipse mihi scripsit. quod si omnia mihi intēgra & ipse, & fortuna seruauerit: recipio uobis, celeriter me negotium ex sententia cōseclurum. Fratrem meum, assiduis

AA 4 labori-

aduerte etiam tribunos pl. ius referendi ad senatū habuisse. qua de re Gellius l. 14. cap. 7.

spatium negantibus mittendi ad senatum.

ep. 18. 33. & 34. & ep. 10. l. 21.

urbe Galliae Narbonensis. Mela lib. 2.

nisi quid ab ipso peccatū sit.

ut qui equitum
turmis praefi-
set. supra, ep. 15

Hirtij, & Pāsac,
qui Mutinensi
pugna perierāt
infra, ep. 33.

die pro fidei,
ut die pro diei.
Gall. 1. 9. c. 14.
uide scholia.

epist. 9.

infra, ep. 21.

laboribus, cōcursationibusq. confectum, graui-
ter se habuisse, antea tibi scripsi. sed tamen, cum
primum posse ingredi coepit; non magis sibi, quam
reip. conualuisse se existimans, ad omnia pericula
princeps esse non recusabat. sed ego eum non so-
lum hortatus sum, uerum etiam coegi isto profi-
cisci: quod illa ualetudine magis conficere se,
quam me tueri posset in castris: & quod acerbis-
simo interitu consulum rep. nudatam, tali ciue
praetore in urbanis officijs indigere existimabam.
quod si quis uestrum non probabit; mihi pruden-
tiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam
fidelitatem. Lepidus tandem, quod ego desidera-
bam, fecit, ut Apellam ad me mitteret, quo obsi-
de fidē illius, & societatis in rep. administranda
uterer. studium in ea re suum mihi L. Gellius; de
tribus fratribus, Segūiano probauit: quo ego in-
terprete nouissime ad Lepidum sum usus. amicum
eum reip. cognoscere uideor: libenterq. ei sum tē-
stimonio, & omnibus ero, qui bene merentur.
Fac ualeas, meq. mutuo diligas; dignitatemq.
meam, si mēreor, tuearis, sicut adhuc singulari
cum beneuolentia fecisti. Vale.

ARG. Narrat, quibus de causis ad Lepidū proficiscatur.

Plancus s. D. Ciceroni.

18

QVID in animo habuerim, cum Laeūus,
Neruaq. discesserunt a me, & ex litteris, quas
eis dedi, & ex ipsis cognoscere potuisti, qui
omnibus

omnibus rebus, consilijsq. meis int̄fuerunt. Accidit mihi, quod homini p̄denti, & cupido satisfaciendi reip. bonisq. omnibus accidere solet; ut consilium sequeretur periculosum magis, dum me probarem, quam tutum, quod habere posset obrectationem: itaque, post discessum legatorum, cum binis continuis litteris & Lepidus me, ut uenirem, rogaret; & Laterensis multo etiam magis, prope implorans, obtestaretur, non ullam rem aliam extimescens, quam eandem, quae mihi quoque facit timorem, uarietatem, atque infidelitatem exercitus eius: non dubitandum putavi, quin succurrerem, meq. communi periculo offerrem. sciebam enim: & cautius illud erat consilium, expectare me ad Isaram, dum Brutus transiceret exercitum, & cum collega consentiente, sicuti milites faciunt, hostibus obuiam ire, tamen, si quid Lepidus bene sentiens detrimenti cepisset, hoc omne assignatum iri aut pertinaciae meae, aut timori uidebam; si aut hominem offensum mihi, coniunctum cum rep. non subleuassent; aut ipse a certamine belli tam necessarii me remouissent. itaque potius periclitari uolui, si possem mea praesentia & Lepidum tueri, & exercitum facere meliorem, quam nimis cautus uideri. sollicitiorem certe hominem non suis contractis neminem puto fuisse. nam quae res nullam habebat dubitationem; si exercitus Lepidi absit, ea nunc magnam affert sollicitudinem, magnumq.

ep. 6. lib. 1.

qui timet infamiam. ep. 23.

Laevi, & Neruae.

infra, ep. 23.

uide quae scripsit ipse Lepidus infra, ep. 35.

milites enim pari gradu simul contra hostes eunt.

supra, ep. x. & 15. & infra, ep. 20.

nulla sua culpa, ex iis, quae ipse non contraxit. sic ad Q. fr. l. 1. ep. 1.

magnumq. habet casum. mihi enim si contigisset, ut prior occurrerem Antonio; non mehercule horam constitisset: tantum ego & mihi confido, & sic percussas illius copias, Ventidijq. milionis castra despicio. sed non possum non exhorrescere, si quid intra cutem subest ulneris, quod prius nocere potest, quam sciri, curariq. possit. sed certe, nisi uno loco metaremur, magnum periculum ipse Lepidus, magnum ea pars exercitus adiret, quae bene de rep. sentit. magnam etiam perdit hostes accessionem sibi fecissent, si quas copias Lepido abstraxissent. quae si aduentus meus represserit; agam gratias fortunae, constantiaeque meae, quae me ad hanc experientiam excitavit. itaque ad XII. Kal. Iun. ab Isarâ castramouit: pontem tamen, quem in Isara feceram, castellis duobus ad capita positus, reliqui; praesidiaq. ibi firma posui; ut uenienti Bruto, exercituiq. eius sine mora transitus esset paratus. ipse, ut spero, diebus octo, quibus has litteras dabam, cum Lepidi copijs me coniungam. Vale.

ARG. Officium Planci in actione gratiarum sibi fuisse gratissimum facetur: hortaturque, ut ad extinguendas belli reliquias omni studio incumbat.

Cicero s. D. Planco imp. 19

tribus modis
erga bene meri-
tos officio fun-
gimur, gratia
ritu actione, re
ipsa, animo

QVAMQVAM gratiarum actionem atque non desiderabam, cum te re ipsa, atque animo scirem esse gratissimum: tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi periucunda. sic enim uidi, quasi

de Lepidi fide
non prorsus bene
sperat. supra,
ep. 13. & 14

ep. 21. lib. 10. &
13. lib. XI.

collegae. ep. 8.
20 & 22.

quasi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. dices, Quid antea? Semper quidem, sed numquam illustrius. Litterae tuae mirabiliter gratae sunt senatui cum rebus ipsis, quae erant grauiissimae, & maximae, fortissimi animi, summiq. consilij, tum etiam grauitate sententiarum, atque uerborum. sed, mi Plance, incumbere, ut belli extrema perficias. in hoc erit summa & gratia, & gloria. cupio omnia reip. caussa: sed mehercule, in ea conseruanda iam defatigatus, non multo plus faueo patriae, quam tuae gloriae: cuius maximam facultatem tibi dii immortales, ut spero, dedere: quam complectere, obsecro. qui enim Antonium oppresserit, is hoc taeterrimum bellum, periculosissimumq. consecravit. Vale.

ARG. Petit, ut de Lepidi fide significet, utrum a reposit, an se cum Antonio coniunxerit; & hortatur ad belli reliquias opprimendas.

Cicero s. D. Planco. 20

ITAErant omnia, quae istinc afferebantur, incerta, ut, quid ad te scriberem, non occurreret. modo enim, quae uellemus, de Lepido, modo contra nunciabantur. de te tamen constans fama, nec decipi posse, nec uinci. quorum alterius fortuna partem habet quandam; alterum proprium est prudentiae tuae. sed accepi litteras a collega tuo, datas idibus Mai: in quibus erat, te ad se scripsisse, a Lepido non recipi Antonium. quod erit certius, si tu ad nos idem scripseris. sed
minus

uide eandem sententiam supra, ep. 12.

de animo dici, fessus autem de corpore, scribit Fronto.

supra, ep. 5.
supra, ep. 13.

ab eo non recipi Antonium.

D. Bruto. supra ep. 8. & 18.

cum scripsit,
Sedulitas mea
reip. tulit fru-
ctum supra,
ep. 15.

hic ep. 7. lib. 3.

his, supra, ep.
13. & 19.

hic supra, ep. 11.
Nec miror, &
gaudeo.

qui de Lepido
uere scripse-
rim.

minus audes fortasse propter inanem laetitiam
littèrarum superiorum . uerum ut errare , mi-
Plance , potuisti : (quis enim id effugerit ?) sic ,
decipi te non potuisse , quis non uidet ? nunc uero
etiam erroris caussa sublata est . culpa enim illa ,
BIS ad eundem , uulgari reprehensa prouerbio est .
sic , ut scripsisti ad collegam , ita se res habet : om-
ni cura liberati sumus , nec tamen erimus pri-
us , quam , ita esse , tu nos feceris certiores . mea
quidem , ut ad te saepius scripsi , haec sententia
est : qui reliquias huius belli oppresserit , eum to-
tius belli confectorem fore : quem te & opto esse ,
& confido futurum . Studia mea erga te , qui-
bus certe nulla esse maiora potuerunt , tibi tam
grata esse , quam ego putauit fore , minime miror ,
uehementerq. laetor : quae quidem tu , si recte
istic erit , maiora , & grauiora cognosces . IV.
Kal. Iun.

AR G. Nunciat de Lepidi perfidia , & coniuñctione cum
Antonio ; nouarumq. copiarum subsidium postulat : & suam
commendat dignitatem .

Plancus s. D. Ciceroni .

PVDERET me incōstantiae mearum litte-
rarum , si non haec ex aliena leuitate penderent .
Omnia feci , quare , Lepido coniuñcto ad remp.
defendendam , minore sollicitudine uestra per-
ditis resisterem : omnia ei , & petenti recepi , &
ultro pollicitus sum ; scripsiq. tibi biduo ante ,
cōfidere me bono Lepido esse usurum , communiq.
consilio bellum administraturum . credidi chiro-
graphis

graphis eius, affirmationi praesentis Laterensis; qui tum apud me erat; reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem, orabat. non licuit diutius bene de eo sperare. illud certe caui, & cauebo, ne mea credulitate reip. summa fallatur. Cum Isaram flumen, uno die ponte confecto, exercitum transduxissem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quod petierat per litteras ipse, ut maturarem uenire: praesto mihi fuit stator eius cum litteris, quibus, ne uenirem, denunciabat: se posse conficere per se negotium: interea ad Isaram exspectarem. indicabo temerarium meum consilium tibi: nihilo minus ire decreueram, existimans eum socium gloriae uitare. putabam posse me nec de laude ieiuni hominis delibare quidquam, & subesse tamen propinquis locis, ut, si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. ego non malus homo hoc suspicabar. at Laterensis, uir sanctissimus, suo chirographo mittit mihi litteras: in eisque, desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide, querensque se distitutum, aperte denunciat, uideam ne fallar: suam fidem solutam esse; reip. ne desim. exemplar eius chirographi Titio dedi. ipsa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea, quibus fidem non habendam putavi, Laenio Cispio dabo perferenda, qui omnibus his interfuit rebus. Accessit eo, ut milites eius, cum Lepidus concionaretur, improbi per se, corrupti etiam per eos, qui praesunt,

propter ueteres inimicitias, supra, ep. 2. 15. & 18. & infra, ep. 23. ep. 18. & l. xi. ep. 13. transiiceret, dixit, ep. 18.

nota metaphora in duobus uerbis, tenuit, & delibare.

se iam non tenent promissis.

supra, ep. 18. & Festus in uerbo, Septimontium supra, ep. 15.

ironia satis ma-
nifesta.

Antonium fe-
cutis.

corregerat .

de quattuor le-
gionibus me-
minit, ep. 15. &
de quinq. ep. 8.

Lepidi .

ep. 24.

ut ad Mutinā.

sunt, Canidios, Rufrenosque, & ceteros, quos, cum opus erit, scietis, conclamarint uiri boni, pacem se uelle, neque esse cum ullis pugnatos, duobus iam consulibus singularibus occisis, tot ciuibus pro patria amissis, hostibus denique omnibus iudicatis, bonisq. publicatis. neque hoc aut uindicarat Lepidus, aut sanarat. huc me uenire, & duobus exercitibus coniunctis obijcere exercitum fidelissimum, maxima auxilia, principes Galliae, prouinciam cunctam, summae dementiae, & temeritatis esse uidi: mihiq. si ita oppressus essem, remq. pub. mecum perdidissem, mortuo non modo honorem, sed misericordiam quoque defuturam. itaque rediturus sum; nec tanta munera perditis hominibus dari posse sinam. exercitum locis ut habeam opportunis, prouinciam tuear, etiam si ille exercitus destituerit, omnia ut integra seruem, dabo operam, quoad exercitus huc summittatis, pariq. felicitate remp. hic uindicetis. nec depugnare, si occasio tulerit; nec obsideri, si necesse fuerit; nec mori, si casus inciderit, pro uobis paratior fuerit quisquam. Quare hortor te, mi Cicero, exercitum huc transiendum quamprimum cures, & matures prius, quam hostes magis corroborentur, & nostri perturbentur. in quo si celeritas erit adhibita; resp. in possessione uictoriae, deletis sceleratis, permanebit. Fac ualeas, meq. diligas. Fratrem meum tibi, fortissimum ciuem, & ad omnia paratiss-

paratissimum, excusam litteris? qui ex labore in febriculam incidit assiduam, & satis molestam. cum primum poterit; istuc recurrere non dubitabit; ne quo loco reip. desit. Meam dignitatem commendatam habeas, rogo. concupiscere me nihil oportet. habeo te & amantissimum mei, & quod optavi, summae auctoritatis. tu uideris, quantum, & quando tuum munus apud me uelis esse. tantum te rogo, in Hirtij locum me subdas, & ad tuum amorem, & ad meam obseruantiam. Vale.

excuses, antiqui libri habent

erat enim praetor Planci frater. supra, ep. 17

supra, epist. 9. Temporis, & rei te moderatorem facile patior esse.

ARG. Agris diuidendis praefici Plancus cupiebat, ad militum gratiam colligendam. de ea re Cicero respondet.

Cicero s. D. Planco.

22 ep. 8. 18. & 29.

IN te, & in collega omnis spes est dijs approbantibus. concordia uestra, quae senatui declarata litteris uestris est, mirifice & senatus, & cuncta ciuitas delectata est. Quod ad me scripseras, de re agraria: si consultus senatus esset, ut quisque de te honorificentissimam sententiam dixisset, eam secutus essem: qui certe ego fuisset: sed, propter tarditatem sententiarum, moramque rerum, cum ea, quae consulebantur, ad exitum non peruenirent; commodissimum mihi, Plancoq. fratri uisum est, uti eo, quod ne nostro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci litteris cognouisse. sed siue in s. C. siue in ceteris rebus desideras aliquid, sic tibi persuade, tantam esse apud omnes bonos tui carita-

idem & D. Brutus cupiebat, supra ep. 11.

de quibus ad senatum referebatur.

ad miudmms dolorem ob S. C. minus ex secretis scriptis

caritatem, ut nullum genus amplissimae dignitatis excogitari possit, quod tibi non paratum sit. Litteras tuas uehementer exspecto, & quidem tales, quales maxime opto. Vale.

ARG Excusat se, quod Lepido crediderit: & suam diligentiam in copijs tuto reducendis declarat accepto nuncio de Lepidi, Antonijq. coniunctione, quo in periculo subsidium Caesariani exercitus postulat.

Plancus s. D. Ciceroni.

23

ut fortuna fert.
supra, ep. 20.

maxime enim
ad res gerendas
interest, opti-
me de ducū uir-
tute milites o-
pinari. ep. 18.
pro infensus.
Phil. 1.

cū salute, duo
ueteres libri.

ita propinqui,
ut quasi in ma-
nibus essent.

NVMQVAM mehercule, mi Cicero, me paenitebit maxima pericula pro patria subire, dum, si quid acciderit mihi, a reprehensione temeritatis absim. Consiterer imprudentia me lapsum, si umquam Lepido ex animo credidissem. CREDULITAS enim error est magis, quam culpa; & quidem in optimi cuiusque mentem facillime irrepit. sed ego non hoc uitio paene sum deceptus: Lepidum enim pulchre noram. quid ergo est? pudor me, qui in bello maxime est periculosus, hunc casum coegit subire. nam, si uino loco essem, uerebar ne cui obrectatorum uiderer & nimium pertinaciter Lepido offensus, & mea patientia etiam alere bellum. itaque copias prope in adspectum Lepidi, Antonijq. adduxi; quadragintaq. millium passuum spatio relicto, consedi, eo consilio, ut uel celeriter accedere, uel salutariter recipere me possem. adiunxi haec in loco eligendo, flumen oppositum ut haberem, in quo mora transitus esset; Vocontij sub manu ut essent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter.

iter. Lepidus, desperato aduentu meo, quem non mediocriter captabat, se cum Antonio coniunxit ad IV. Kal. Iun. eodemq. die ad me castra mouerunt. uiginti millia passuum cum abessent, res mihi nunciata est. dedi operam deum benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic discessus nihil fugae simile haberet, non miles ul-

lulus, non eques, non quidquam impedimentorum amitteretur, aut ab illis feruentibus latronibus interciperetur. itaque pridie non. Iun. omnes copias Isaram transieci, pontesque, quos fecerā, interrupi, ut & spatium ad se colligendum homines haberent, & ego me interea cum collega coniungerem; quem triduo, cum has dabam litteras, expectabam. Laterēnsis nostri & fidem, & animum singularem in remp. semper fatebor. sed certe nimia eius indulgentia in Lepidum, ad haec pericula perspiciunda fecit eum minus sagacem. qui quidem cum in fraudem se deductum uideret, manus, quas iustius in Lepidi perniciem armasset, sibi afferre conatus est. in quo casu tamen interpellatus, adhuc uiuit, & dicitur uicturus. sed tamen de hoc mihi parum certum est: & magno cum dolore paricidarum elapsus sum ijs. ueniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati: iracundias autem harum rerum recentes habebant, quod Lepidum castigare non destiteram, ut extingueret bellum: quod colloquia facta improbabam: quod legatos, fide Lepi-

quod in ducē non minus laudari solet, quā si praelio uicerit.

ex timore recreandos.

supra, ep. 18.

eum ex illo uulnere paruisse affirmat Dio lib. 46. & Velleius lib. 2.

Caninium, [Si-
gonii liber: alii
Catium. notae
familiae.

uehemēter, ut
in hoc intēdas
omnes neruos.

erat enī [ei ini-
micus Antoni-
us, uictus iā ab
eo ad Mutinā.

excitant. sic lo-
cutus Cic. l. i.
de or. & ad Att.
lib. i 2.

di missos ad me, in conspectum uenire uctueram; quod C. C. tiniūm Vestinum trib. mil. missum ab Antonio ad eum cum litteris, exceperam. in quo hanc capio uoluptatem, quod certe, quo magis me petiuerunt, tanto maiorem ijs frustratio dolorem attulit. Tu, mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem praesta, ut uigilanter, neruoseq. nos, qui stamus in acie, subornes. ueniat Caesar cum copijs, quas habet firmissimas: aut, si ipsum aliqua res impedit, exercitus eius mittatur: cuius ipsius magnum pericūlum agitur. quidquid aliquando futurum fuit in castris perditorum contra patriam, hoc omne iam conuenit. pro urbis uero salute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? quod si uos istic non defueritis; profecto, quod ad me attinet, omnibus rebus abunde reip. satisfaciam. Te quidem, mi Cicero, in dies mehercule habeo cariorum: sollicitudinesq. meas quotidie magis tua merita excuunt, ne quid aut ex amore, aut ex iudicio tuo perdam. opto, ut mihi liceat iam praesenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iocundiora. Vale. viii. idus Iun. Ciuarone, ex finibus Allobrogum.

ARG. Pollicetur se memorem beneficiorum: suas copias narrat: subsidium, aut ab Octauiano, aut ab Africano exercitu, postulat: Octavianum, quasi negligentem in tuenda rep. accusat.

Plancus imp. cos. des. s. d. Ciceroni. 24
F A C E R E non possum, quin in singulas res meritaq.



meritaq. tua tibi gr̄atias agam: sed mehercule facio cum pudore. neque enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse uoluisti, desiderare uidetur gratiarum actionem: neque ego lubenter pro maximis tuis beneficijs tam uili munere defungor orationis; & malo praesens obseruantia, indulgentia, assiduitate memorem me tibi probare. quod si mihi uita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates in tua obseruantia, indulgentia, assiduitate uincam. amor enim tuus, ac iudicium de me utrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an uoluptatis quotidie sit allaturus, non facile dixerim. De militum commodis fuit tibi curae: quos ego non potentiae meae caussa (nihil enim me non salutariter cogitare scio) ornari uolui a senatu; sed primum, quod ita meritos iudicabam; deinde, quod ad omnes casus coniunctiores reip. esse uolebam; nouissime, ut ab omni omnium sollicitatione auersos eos tales uobis praestare possem, quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hic omnia int̄gra sustinui mus. quod consilium nostrum; etsi, quanta sit auiditas hominum, non sine caussa, talis uictoriae, scio; tamen uobis probari spero. non enim, si quid in his exercitibus sit offensum, magna subsidia resp. habet expedita, quibus subito impetu, ac latrocinio paricidarum resistat. copias uero nostras notas tibi esse arbitror. in castris meis legiones sunt ueteranae tres, tironum uel luculentif

BB 2 sima

uideo Plācum in principio literarum delatari quadā grati animi significatione. supra, ep. 4. 9. xi. & 19.

omnia ut integra seruem, dixit epist. 21. sed ibi significat, ne quid patiamur detrimētū: hic se praelium uitasse. patet ex uerbo, sustinui, & sequentibus.



Pharsalico ma-
xime prælio Ce-
saris & Pom-
peii.

ad cogitationē
consulatus bi-
mestris.

Otauiā Cice-
ro nimis dili-
gere uisus est.
quod fecit odio
maxime, me-
tuq. Antonii.
epist. 3.

similem senten-
tiā aliis uerbis
expressit epist.
29 l. 7 & ad Att.
ep. 12. lib. 1.

simā ex omnibus una. in castris Bruti una uete-
rana legio, altera bima, octo tironum. ita uni-
uersus exercitus numero amplissimus est, firmi-
tate exiguus. quantum autem in acie tironi sit
committendum, nimium saepe expertum habe-
mus. ad hoc robur nostrorum exercituum siue
Africanus exercitus, qui est ueteranus, siue Cae-
saris accessisset, aequo animo summam remp. in
discrimen deduceremus. aliquanto autem pro-
pius esse, quod ad Caesarem attinet, uidebamus.
nihil destiti eum litteris hortari: neque ille inter-
misit affirmare, se sine mora uenire. cum inte-
rim auersum illum ab hac cogitatione, ad alia
consilia uideo se contulisse. ego tamen ad eum Fur-
nium nostrum cum mandatis, litterisq. misi, si
quid forte proficere posset. Scis tu, mi Cicero,
quod ad Caesaris amorem attinet. societatem mi-
hi esse tecum: uel quod in familiaritate Caesaris,
uiuio illo, iam tueri eum, & diligere mihi fuit
necesse: uel quod ipse, quoad ego nosse potui, mo-
deratissimi, atque humanissimi fuit sensus: uel
quod ex tam insigni amicitia mea, atque Cae-
sar, hunc, filij loco & illius, & uestro iudicio
substitutum, non perinde habere mihi turpe ui-
detur. sed quidquid tibi scribo, dolenter meher-
cule magis, quam inimice facio. quod uiuit An-
tonius; hodie quod Lepidus una est; quod exer-
citus habent non contemnendos; quod sperant;
quod audent; id omne Caesari acceptum referre
possunt.

possunt. neque ego superiora repetam: sed ex eo tempore, quo ipse mihi professus est se uenire, si uenire uoluisset; aut oppressum iam bellum esset, aut in aduersissimam illis Hispaniam cum detrimento eorum maximo extrusum. quae mens eū, aut quorū consilia a tanta gloria, sibi uero etiam necessaria, ac saluari auocarint, & ad cogitationem consulatus bimēstris, summo cum terrore hominum, & insulsa cum esflagitatione transfulerint, exputare non possum. multum in hac re mihi uidentur necessarij eius & reip. & ipsius causa proficere posse: plurimum, ut puto, tu quoque: cuius ille tanta merita habet, quanta nemo praeter me. numquam enim obliuiscar, maxima, ac plurima me tibi debere. De his rebus, ut exigeret cum eo, Furnio mandavi, quod si quantam debeo, habuero apud eum auctoritatem; plurimum ipsum iuūero. Nos interea duriori conditione bellum sustinemus; quod neque expeditissimam dimicationem putamus; neque tamen refugiendo commissuri sumus, ut maius detrimentum resp. accipere possit. quod si aut Caesar se respexerit; aut Africānae legiones celeriter uenerint: securos uos ab hac parte reddemus. Tu, ut instituisti, me diligas, rogo, proprieq. tuum esse, tibi persuadeas. V. Kal. Sext. ex castris.

ARG. Modeste reprehendit in Furnio praeproperam ad piscendae praeturae festinationem.

ut surrogaretur in locum Pāsae, aut Hircii, Dio lib. 46.

ut etiam Ciceronem M. Brutus ob eā causam in epistola quadam grauius increpet,

cum ipsius quoque periculum agatur. § supra, ep. 23.

quae erant in Africa, ep. 25. lib. xi.

diffuasio ab u-
tili.

erat enim Plan-
ci legatus. su-
pra, ep. 8.

Furnius enim
ad petendā prae-
turam contem-
dere cupiebat,
cum non dum
ipsius annus
esset.

supra, ep. 9.

non fuerūt, op-
pressa a IIII
uris rep.
diffuasio ab
exemplis.

si manebis in
provincia, & ad
comitia prae-
toris non uenies.

SI interest, id quod homines arbitrantur,
reip. te, ut instituisti, atque fecisti, nauare ope-
ram, rebusq. maximis, quae ad extinguendas re-
liquias belli pertinent, interesse: nihil uideris me-
lius, neque laudabilius, neque honestius facere
posse: istamq. operam tuam, nauitatem, ani-
mum in remp. celeritati praeturae antepone-
dam censeo. nolo enim te ignorare, quantam laudem
consecutus sis: mihi crede, proximam Planco,
idq. ipsius Planci testimonio, praeterea fama,
scientiaq. omnium. quamobrem, si quid operis
tibi etiam nunc restat, id maximopere censeo
persequendum. quid enim honestius? aut quid
honesto anteponendum? sin autem satisfactum
reip. putas: celeriter ad comitia, quando matu-
re futura sunt, ueniendum censeo; dum modo ne
quid haec ambitiosa festinatio imminuat eius glo-
riae, quam consecuti sumus. Multi clarissimi ui-
ri, cum reip. darent operam, annum petitionis
suae non obierunt. quod eo facilius nobis est, quod
non est annus hic tibi destinatus: ut, si aedilis fuis-
ses, post biennium tuus annus esset. nunc nihil
praetermittere uidebere usitati, & quasi legiti-
mi temporis ad petendum. uideo autem, Plan-
co consule, etsi etiam sine eo rationes expeditas
haberes, tamen splendidiorum petitionem tuam
fore, si modo ista ex sententia confecta essent.
Omnino plura me scribere, cum tuum tantum
consilium,

consilium, iudiciumq. sit, non ita necesse arbitrar. sed tamen sententiam meam tibi ignotam esse nõlebam. cuius est haec summa, ut omnia te metiri dignitate malim, quam ambitione, maioremq. fructum ponere in perpetuitate laudis, quam in celeritate praeturae. Haec eadem locutus sum domi meae, adhibito Quinto fratre meo, & Caecina, & Caluisio, studiosissimis tui, cum Dardanus, libertus tuus, interesset. omnibus probari uidebatur oratio mea: sed tu optime iudicabis. Vale.

ARG. Scripserat Furnius, ad comitia praetoria se uenturum: Cicero dissuadet, comitiaq. dilata significat.

Cicero s. d. Furnio. 26

LECTIS tuis litteris, quibus declarabas aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandum; illud magis timui; quod uitatum, non moleste fero. Quod de Planci, & Bruti concordia scribis, in eo uel maximam spem pono uictoriae. De Gallorum studio, nos aliquando cognoscemus, ut scribis, cuius id opera maxime excitatum sit: sed iam, mihi crede, cognouimus. itaque iucundissimis tuis litteris stomachatus sũ in extremo. scribis enim, si in Sextilem comitia, cito te: si iam confecta, citius; ne diutius cum periculo fatuus sis. o mi Furni, quam tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas. tu nunc candidatum te putas: & id cogitas, ut aut ad comitia curras; aut, si iam confecta, do-

EB 4 mi

testificandi amoris causa. ep. 4 lib. 2. & 3. lib. 10.

ep. 7. lib. xi.

transalpinorũ.

tua uidelicet opera excitatũ

caussarũ. n. patronus solebat esse.



mi tuae sis; scilicet ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis. non arbitror te ita sentire. omnes enim tuos ad laudem impetus noui. quod si, ut scribis, ita sentis: non magis te, quam de te iudicium reprehendo meum. Te adipiscendi magistratus leuissimi, & diuulgatissimi, si ita adipiscare, ut plerique, praepropera festinatio abducet a tantis laudibus, quibus te omnes in caelum iure, & uere ferunt? scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima praetor fias, non ut ita de rep. merear, omni honore ut dignissimus iudicare. utrum nescis, quam alte ascenderis; an pro nihilo id putas? si nescis: tibi ignosco: nos in culpa sumus. sin intelligis: ulla tibi est praetura uel officio, quod pauci, uel gloria, quam omnes sequuntur, dulcior? Hac de re & ego, & Caluissus, homo magni iudicij, tuiq. amantissimus, te accusamus quotidie; comitia tamen, quando ex his pendes, quantum facere possums, quod multis de caussis reip. arbitramur conducere, in Ianuarium mensem protrudimus. Vince igitur, & uale.

ARG. Lepidum quasi molli brachio obiurgat, quia, summis honoribus a senatu ornatus, gratiarum agendarum officium neglexerat. rum, pacem inter Antonium & bonos ciues conciliare cupientem hortatur ne se interponat.

Cicero s. D. M. Lepido.

27

Q V O D mihi pro mea summa erga te beneuolentia magnae curae est, ut quam amplissima dignitate

qui te putem aliter sentire, quam scribis.

id laborandum tibi, & amicis tuis. non praetura tantum.

qui te decedere e provincia cupientem accusamus.

ep. 12. lib. 2. ad Q. fr.

dignitate sis; moleste tuli, te senatui gratias non egisse, cum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis inter ciues conciliandae te cupidum esse, laetor. pacem eam si a seruitute seiungis; consules & reip. & dignitati tuae. sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est: hoc animo scito esse omnes sanos, ut mortem seruituti anteponant. itaque sapientius, meo quidem iudicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones; quae neque senatui, neque populo, neque eniquam bono probatur. Sed haec audies ex alijs, aut certior fies litteris. tu pro tua prudentia, quid optimum factu sit, uidebis.

ARG. Dolet se non fuisse participem coniurationis in Caesarem; quia superstes Antonius perniciem reip. molitur, deinde suum libertatis recuperandae studium declarat.

Cicero s. D. C. Trebonio. 28

QVAM uellem ad illas pulcherrimas epulas me idibus Mart. inuitasses: reliquiarum nihil haberemus. at nunc cum his tantum negotij est, ut uestrum illud diuinum in remp. beneficium non nullam habeat querelam. quod uero a te, uiro optimo, seductus est, tuoq. beneficio adhuc uiuit haec pestis: interdum, quod mihi uix fas est, tibi subirascor. mihi enim negotij plus reliquisti uni, quam, praeter me, omnibus. Ut enim primum post Antonij foedissimum discessum senatus haberi libere potuit; ad illum animum meum reuerti

in S. C. infra ep. 33 h. l. & 18. lib. xi. & Phil. 1. & 5.

e qua deiectus erat praelio Murinensi.

hanc pacem ualde improbat etiam in Philippicis.

Antonius seruus non esset. uide infra ep. 13.

Diolib. 44. & Phil. 13.

cum Brundisii profectus est, ut legiones Macedoniae ad urbem secum duceret. ep. 25 l. 12 Philipp 3. & Diolib. 45.

Philipp. 13.
uocandi senatus
tribuni pl.
ius habebant.
Gellius lib. 14.
cap. 7.

nisi quā per An
toniū quietus
fuit ep. 1.

perierat Ser.
Sulpicius. uide
Philippicam 9.
ep. 7. lib. XI.

priuato confi-
lio, suo sūptu.
Philipp 3.

Brundisio re-
deuntem ep.
25. lib. 12. &
Philipp. 3.

reuertere pristinum, quem tu cum ciue acerrimo,
pâtre tuo, in ore & amore semper habuisti. nam,
cum senatum ad XII. Kal. Ian. tribuni pl. uo-
cauissent, deq. alia re referrent; totam rep.
sum complexus; egiq. acerrime; senatumq. iam
languentem, & defessum, ad pristinam uirtu-
tem, consuetudinemq. reuocaui, magis animi,
quam ingerij uiribus. Hic dies, meaq. conten-
tio, atque actio spem primum populo R. attulit
libertatis recuperandae. nec uero ipse postea tem-
pus ullum intermisi de rep. non cogitandi solum,
sed etiam agendi. Quod nisi res urbanas, actaq.
omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscribere
rem. quamquam eram maximis occupationibus
impeditus. sed illa cognosces ex alijs, a me pau-
ca, & ea summatim. Habemus fortem sena-
tum, consulares partim timidos, partim male
sentientes. magnum damnum factum est in Sér-
uio. L. Caesar optime sentit; sed, quod auuncu-
lus est, non acerrimas dicit sententias. consules
egregij: praecclarus D. Brutus: egregius puer Cae-
sar. de quo spero equidem reliqua: hoc uero cer-
tum habeto, nisi ille ueteranos celeriter conscri-
psisset. legionesq. duae de exercitu Antonij ad
eius se auctoritatem contulissent, atque is opposi-
tus esset terror Antonio, nihil Antonium scele-
ris, nihil crudelitatis praeteriturū fuisse. Haec ti-
bi etsi audita esse arbitrabar, uolui tamen rotiora
esse. plura scribam, si plus otij habuero. Vale.

A R G.

ARG. Scribit de suo studio erga salutem Ampii exulantis: bonamq. spem habere iubet.

Cicero s. D. Ampio Balbo. 29

DE MEO studio erga salutem, & incolumitatem tuam credo te cognosse ex litteris tuis: quibus me cumulatissime satisfacisse, certo scio. nec ijs concedo, quamquam sunt singulari in te benevolentia, ut te saluum malint, quam ego illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus, quam ipsi, hoc tempore prodesse possim. quod quidem nec destiti facere, nec desistam, & iam in maxima re feci, & fundamenta ieci salutis tuae. Tu fac bono animo, magnoq. sis, meq. tibi nulla re defuturum esse confidas. Pridie non. Quint. Vale.

forte is est, ad quem scribit ep. 3 l. 1. & ep. 13. lib. 6. ep. 3. l. 4.

sic locutus ep. 9. lib. 1.

ARG. Proelium, uictoriaq. de Antonio relata nunciatur.

Ser. Galba s. D. Ciceroni. 30

DECIMO septimo Kal. Maij, quo die Pan-
sa in castris Hirtij erat futurus, cum quo ego
eram, (nam ei obuiam processeram millia passuum
centum, quo maturius ueniret) Antonius legio-
nes eduxit duas, secundam, & quintam trigesi-
mam, & cohortes praetorias duas, unam suam,
alteram Silani, & euocatorum partem. ita
obuiam uenit nobis; quod nos quattuor legiones
tironum habere solum arbitrabatur. sed noctu,
quo tutius uenire in castra possemus, legionem
Martiam, cui ego praeesse solebam, & duas co-
hortes praetorias miserat Hirtius nobis. Cum
equites

de hoc Galba in Philipp. 138

qui discesserat a Lepido, ipso tamē haud inuito. uide infra, ep. 34. & Dionē lib. 46. qui hanc etiam pugnam narrat. de legiōe Martia Phil. 14.

Phil. 14.

quæ, relicto Antonio, Caesari Octaviano se adiunxerat. Philipp. 3. & 5. & Velleius lib. 2.

equum admittere, dixit l. 2. de Fin. incitare, l. 3. de. nat. de.

equites Antonij apparuissent, contineri, neque legio Martia, neque cohortes praetoriae poterunt: quas sequi coepimus coacti, quando eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum suas copias continebat: neque sciri volebat, se legiones habere: tantum equitatum, & leuem armaturam ostendebat. postea quam uidit se inuito legionem ire Pansa, sequi se duas legiones iussit tironum. postea quam angustias paludis, & silvarum transuimus, acies est instructa a nobis duodecim cohortium. non dum uenerant legiones duae, cum repente Antonius in aciem suas copias de uico produxit, & sine mora concurrat. Primo ita pugnatum est, ut acrius non posset ex utraque parte pugnari. sed dexterius cornu, in quo ego eram cum Martiae legionis cohortibus octo, impetu primo fugauerat legionem trigésimam quintam Antonij, ut amplius passus quingentos ultra aciem, quo loco steterat, processerit. itaque, cum equites nostrum cornu circuire uellent, recipere me coepi, & leuem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne auersos nostros aggrederebantur. interim uideo me esse inter Antonianos, Antoniumque post me esse aliquanto. repente equum immisi ad eam legionem tironum, quae ueniebat ex castris, scuto reiecto. Antoniani me insequi: nostri pila conijcere uelle. ita nescio quo fato sum seruatus, quod cito sum a nostris cognitus. In ipsa



Aemilia, ubi cohors Caesaris praetoria erat, diu pugnatum est. cornu sinisterius, quod erat infirmius, ubi Martiae legionis duae cohortes erant, & cohors praetoria, pedem referre coeperunt, quod ab equitatu circuibantur, quo uel plurimum ualet Antonius. cum omnes se recepissent nostri ordines, recipere me nouissimus coepi ad castra. Antonius, tamquam uictor, castra putauit se posse capere. quo cum uenit, complures ibi amisit, nec egit quidquam. Audita re Hirtius cum cohortibus uiginti ueteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiasq. omnes eius deleuit, fugauitq. eodem loco, ubi erat pugnatum, ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta se in castra sua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea castra redijt, unde Pansa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quae ab Antonio erant oppugnatae. sic partem maiorem suarum copiarum Antonius amisit ueteranarum: nec id tamen sine aliqua iactura cohortium praetoriarum nostrarum, & legionis Martiae fieri potuit. aquilae duae, signa sexaginta sunt relata Antonio. res bene gesta est. Ad XII. Kal. Maij, ex castris. Vale.

praetoriae cohortes fortissimorum uirorum.

duabus legionibus. oratione XIII. in Antonium.

exercitu incolami. Phil. 14.

legionum signa: nam cohortium diuersa, quae sexaginta hostibus erepta.

ARG. Excusat se, quod studium suum erga remp. litteris non dum declarauerit: seq. libertatis recuperandae cupidum ostendit.

C. Asinius Pollio s. D. Ciceroni. 31

MINIME mirum debet tibi uideri, nihil me

Hispaniam postertorem admittabat, a Caesare commissam: in qua Lusitania

nia contineba-
tur: ceterior Le-
pido attributa
erat, infra, ep.
33.

M. Antonius,
nunc inuisus,
quia resp. ho-
stis, antea uero
amicus. infra,
ep. 33.

quia Caesar pro
sua potentia,
Pompeius pro
rep. putabatur
contendere.

me scripsisse de rep. postea quam itum est ad ar-
ma. nam saltus Castulonensis, qui semper tenuit
nostros tabellarios; etsi nunc frequentioribus la-
trocinijs infestior factus est, tamen nequaquam
tanta in mora est, quanta qui locis omnibus di-
sposti ab utraque parte scrutantur tabellarios,
& retinent. itaque, nisi naue perlatae litterae es-
sent, omnino nescirem, quid istic fieret. nunc
uero, nactus occasionem, postea quam nauigari
coeptum est, cupidissime, & quam creberrime
potero, scribam ad te. Ne mouear eius sermo-
nibus, quem tametsi nemo est qui uidere uelit,
tamen nequaquam proinde, ac dignus est, ode-
runt homines, periculum non est. a deo est enim
inuisus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod
commune cum illo sit. natura autem mea, &
studia trahunt me ad pacis, & libertatis cupidi-
tatem. itaque illud initium civilis belli saepe de-
fleui. cum uero non liceret mihi nullius partis es-
se, quia utrobique magnos inimicos habebam;
ea castra fugi, in quibus plane tutum me ab insi-
dijs inimici sciebam non futurum. compulsus eo,
quo minimè uolebam; ne in extremis essem, pla-
ne pericula non dubitanter adi. Caesarem uero,
quod me in tanta fortuna, modo cognitum, ue-
tustissimorum familiarium loco habuit, dilexi
summa cum pietate, & fide. quae mea sententia
gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quisque
maxime probarit: quod iussus sum, eo tempore,
atque

atque ita feci, ut appareret, inuito imperatum esse. cuius facti iniustissima inuidia erudire me potuit, quam iucunda libertas, & quam misera sub dominatione uita esset. ita, si id agitur, ut rursus in potestate omnia unius sint: quicumque is est, ei me profiteor inimicum: nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam, aut deprecer. sed consules neque s. c. neque litteris suis praeceperant mihi, quid facerem. unas enim post idus Mart. demum a Pansa litteras accepi; in quibus hortatur me, ut senatui scribam, me, & exercitum in potestate eius futurum. quod, cum Lepidus concionaretur, atque omnibus scriberet, se consentire cum Antonio, maxime contrarium fuit. nam quibus com meatibus, inuito illo, per illius prouinciam legiones ducerem? aut, si cetera transissem, num etiam alpes poteram transuolare, quae praesidio illius tenentur? Adde huc, quod perferri litterae nulla condicione potuerunt. sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur a Lepido tabellarij. Illud me Cordubae pro concione dixisse, nemo uocabit in dubium, prouinciam me nulli, nisi qui a senatu missus uenisset, traditurum. nam de legione trigesima tradenda quantas habuerim contentiones, quid ego scribam? qua tradita, quanto pro rep. infirmior futurus fuerim, quis ignorat? hac enim legione noli acrius, aut pugnacius quidquam putare esse. quare me eum existima

odium aduersus me iniuste concitatum.

mox tamen Asinite cum Antonio cōiunxisti. Velleius lib. 2.

consule.

infra, ep. 33.

urfit enim eum & Lepidus, & Antonius ep. sequenti.



ep. sequenti.

ep. 15. lib. 12. &
24. lib. 14. & in
proemio libri
de claris orat.
Opinione om-
nium maiorem
animo cepi do-
lorem.

ut nunc quidem
si animo habeo.
casus autem sa-
epe cogit muta-
re consilium.

statim a Balbi
flagitiis inci-
pit: quod est in-
dicium summae
iracundiae.

existima esse, qui primum pacis cupidissimus sim; (omnes enim ciues plane studeo esse saluos) deinde qui & me, & reip. uindicare in libertatem paratus sim. Quod familiarem meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est: inuideo illi tamen, quod ambulat, & iocatur tecum. quaeres, quanti aestimem. si umquam licuerit uiuere in otio, experieris. nullum enim uestigium abs te discessurus sum. Illud uehementer admiror, non scripsisse te mihi, manendo in prouincia, an ducendo exercitum in Italiam, reip. magis satisfacere possim. ego quidem, etsi mihi tutius, ac minus laboriosum est manere; tamen, quia inuideo tali tempore multo magis legionibus opus esse, quam prouincijs, quae praesertim recuperari nullo negotio possunt, constitui, ut nunc est, cum exercitu proficisci. deinde ex litteris, quas Pansaemisi, cognosces omnia. nam earum tibi exemplar misi. XVII. Kal. Apr. Cordubae.

A R G. Enumerat, quae Balbus, quaestor suus, flagitiose commisit, quaeque ipse fecerit ad exercitum in reip. potestate continendum.

Afinius Pollio s. D. Ciceroni. 31

BALBUS quaestor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, maiore argenti coacto, de publicis exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito, duxit se a Gadibus; & triiduum tempestate retentus ad Calpen, Kal. Iunii transiecit sese in regnum Bogudis, plane bene peculiat.

cūliatus. his rumoribus utrum Gades referatur, an Romam, (ad singulos enim nuncios turpissime consilia mutat) nondum scio. sed, praeter furta, & rapinas, et uirgis caesos socios, haec quoque fecit; ut ipse gloriari solet, eadem, quae C. Caesar: ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum histrionem, summo ludorum die anulo aureo donatum, in quattuordecim sessum deduxit: tot enim fecerat ordines equestris loci: quattuoruiratum sibi prorogauit: comitia biennij biduo habuit, hoc est renunciauit quos ei uisum est: exsules reduxit, non horum temporum, sed illorum, quibus a seditiosis senatus trucidatus, aut expulsus est Sex. Vāro procos. Illa uero iam ne Caesaris quidem exemplo, quod ludis praetextam de suo itinerē ad L. Lentulum procos. sollicitandum posuit. & quidem, cum ageretur, fleuit, memoria rerum gestarum commotus. glādia toribus autem Fadium quendam, militem Pompeianum, quia, cum depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctore sese nolebat, & ad populum confugerat, primum Gallos equites immisit in populum, (coniecti enim sunt lapides in eum, cum arriperetur Fadius) deinde abstractum desodit in ludo, et uiuum combussit; cum quidem pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergū reiectis, inambularet, et illi misero quiritanti, Ciuis Romanus sum, responderet, Abi nunc, populi fidem implora. bestijs uero ciues Romanos,

bene nummatus, dixit oratione in Rullū.

ficuti Laberium minimum donauerat Caesar. Suetonius, & Macrobius,

Plin. xi. c. 45.

uide ad Att. ep. 9. & xi lib. 8.

cum gladiatores pugnarent, Phil. 1.

quae uox auxilio saepe fuit in Verrem.

CC manos,



manos, in his circulatorum quendam auctiorum,
 notissimum hominem Hispali, quia deformis erat,
 obiecit. Cum huiusmodi portento res mihi fuit,
 sed de illo plura coram. Nunc, quod praestat,
 quod pluris est. quid me uelitis facere, constituite. tres legiones
 quam de Balbo agere. firmas habeo: quarum unam uigesimali octauam
 cum ad se initio belli accersisset Antonius hac
 pollicitatione, quo die in castra uenisset, denarios
 sexaginta scuta quingenos singulis militibus daturum, in uictoria
 uero eadem praemia, quae suis legionibus
 pellant. (quorum quis ullum finem, aut modum futu-
 rum putauit?) incitatissimam retinui, aegre
 mehercule; nec retinuissem, si uno loco habuis-
 sem: utpote cum singulae quaedam cohortes se-
 diuinae ab aliis. ditionem fecerint. reliquas quoque legiones non
 destitit litteris, atque infinitis pollicitationibus
 incitare. nec uero minus Lepidus urfit me et suis,
 supra, ep. 31. & Antonij litteris, ut legionem trigesimali mit-
 terem sibi. itaque, quem exercitum neque uen-
 dere ullis praemijs uolui, nec eorum periculorum
 metu, quae, uictoribus illis, portendebantur,
 deminuere, debetis existinare retentum, & con-
 seruatum reip. esse; atque ita credere, quodcum-
 que imperassetis, facturum fuisse, si, quod inssi-
 stis, feci. nam & prouinciam in otio, & exer-
 citum in mea potestate tenui: sinibus meae pro-
 uinciae nusquam excessi: militem non modo
 legionarium, sed ne auxilium quidem ullum
 quoquam misi; & si quos equites decedentes na-
 etus

Etus sum, supplicio affeci. quarum rerum fructum
satis magnum, rep. salva, tulisse me putabo. sed
resp. si me satis nouisset, & maior pars senatus;
maiores ex me fructus tulisset. Epistolam, quam
Balbo, cum etiam nunc in prouincia esset, scripsi,
legendam tibi misi. etiam praetextam, si uoles
legere, Gallum Cornelium, familiarem meum,
poscito. VI. id. Iun. Córdubae. Vale.

ARG. Deplorat calamitatem reip. quae Mutinensi proe-
lio & consules, & robur, sobolemq. militum amiserat.

Asinius Pollio s. D. Ciceroni. 33

QVO tardius certior fierem de proelijs a-
pud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos
tabellarios nouem dies retinuit: tametsi, tan-
tam calamitatem reip. quam tardissime audire,
optandum est, sed illis, qui prodesse nihil pos-
sunt, neque mederi. atque utinam eodem s. C.
quo Plancum, & Lepidum in Italiam accer-
sistis, me quoque iussissetis uenire. profecto non
accepisset resp. hoc uulnus. quo si qui laetantur
in praesentia, quia uidentur & duces, & ue-
terani Caesaris partium interijisse: tamen post-
modum necesse est doleant, cum uastitatem Italiae
respexerint. nam & robur, & soboles militum
interijt: si quidem, quae nunciantur, ulla ex par-
te uera sunt. Neque ego non uidebam, quan-
to usui reip. essem futurus, si ad Lepidum uenis-
sem. omnem enim cunctationem eius discussissem,
praesertim adiutore Planco. sed scribenti ad me

CC 2 eiusmodi

Baethicae Hi-
spaniae urbs,
utriusque Sene-
cae, & Lucani
patria, Martia-
lis lib. 1.

supra, ep. 131.

nam ego pro-
desse aliquid
possum: ideoq.
citius audire
uoluissim.

periere, qui &
ipsi fortes erāt,
& fortes filios,
praesidio reip.
aliquando futu-
ros, poterant
gignere.



eiusmodi litteras, quas leges, & concionibus videlicet, quas Narbone habuisse dicitur, similes, palparer necesse erat, si uellem commeatum, per prouinciam eius inter faciens, habere. praeterea uerebar, ne, si ante, quam ego incepta perficerem, proelium confectus esset, pium meum

dicerent me in Italia uenisse, non ut reip. sed ut Antonio ope ferrem.

supra, bis, ep. 31

Antonius, & Pansa.

ep. 5. lib. 12.

mortuus est Bononiae, ut scribit Appianus.

mendum. nã de hac post, puro, i. r. legendum,

consilium rãperent in contrariam partem obtretatores mei, propter amicitiam, quae mihi cum Antonio, non maior tamen quam Planco, fuit. itaque a Gadibus mense Aprili binos tabularios in duas naues imposui; & tibi, & consularibus, & Octaviano scripsi, ut me faceretis certio-rem, quoniam modo plurimum possem prodesse reip. sed, ut rationem in eo, quo die proelium Pansa commisit, eodem a Gadibus naues profectae sunt. nulla enim post hiemem fuit ante eam diem nauigatio. et hercule, longe remotus ab omni suspicione futuri civilis tumultus, penitus in Lusitania legiones in hibernis collocaram. ita porro festinauit ut èrque confligere, tamquam nihil peius timerent, quam ne sine maximo reip. detrimento bellum componeretur. sed, si properandum fuit, nihil non summi ducis cõsilio gessisse Hirtium uideo. nam haec mihi scribuntur ex Gallia Lepidi, & nunciantur: Pansae exercitum concisum esse: Pansam ex uulneribus mörtuum; eodem proelio Martiam legionem interuisse, & L. Fabarum, & C. Paeduceum, & D. Carfulenum: Hirtiano autem proelio & quãrtam legionem, & omnes peraeque

peraeque Antonij caesas : item Hirtij quartam , cum castra quoque Antonij cepisset , a quinta legione concisam esse : ibi Hirtium quoque periisse , & Pontium Aquilam : dici etiam , Octavianum cecidisse : (quae si , quod dii prohibeant , uera sunt , non mediocriter doleo) Antonium turpiter Mutinae obsessionem reliquisse , sed habere equitatum , ac legiones sub signis armatas tres , & P. Vagieni unam , inermes bene multos : Ventidium quoque se cum legione septima , octaua , nona coniuxisse : si nihil in Lepido spei sit , descensurum ad extrema , & non modo nationes , sed etiam seruitia concitaturum : Parmam direptam : L. Antonium alpes occupasse . Quae si uera sunt , nemini nostrum cessandum est ; neque expectandum , quid decernat senatus . res enim cogit huic tanto incendio succurrere omnes , qui aut imperium , aut nomen denique populi R. saluum esse uolunt . Brutum enim XVII. cohortes , & duas non frequentes tironum legiones , quas conscripserat Antonius , habere audio . neque tamen dubito , quin omnes , qui supersint de Hirtij exercitu , confluant ad eum . nam in delectu non multum spei puto esse ; praesertim cum nihil sit periculosius , quam spatium confirmandi sese Antonio dari . anni autem tempus libertatem maiorem mihi dat : propterea quia frumenta aut in agris , aut in uillis sunt : itaque proximis litteris consilium meum expedietur . nam neque deesse , ne-

quā cum Antonio fuisse , ex Phil. 5. cōiicio falsū . Phil. 1. 4. unum ex percussoribus Caesaris . ep. 19. ad M. Brutum , ep. 15. lib. 10. & 10. lib. XI.

ep. sequenti & supra, ep. 17, & 18.

ep. 10. lib. XI.

ne perdatur ipsum etiam nomen cum imperio populi R.



Gell. 1. c. 22.

que sup̄esse reip. uolo. maxime tamen doleo, a-
deo et longo, et infesto itinere ad me ueniri, ut die
quadragesimo post, aut ultra etiam, quam facta
sunt, omnia nuncientur. Vale.

ARG. Narrat, in Antonii aduentu quid egerit: & agit
gratias Ciceroni, quod iniquis de se rumoribus non cre-
diderit.

de Lepido sic
Velleius lib. 2.
Lepidus pont.
max in locum
Caesaris furto
creatus, decre-
ta sibi Hispa-
nia, adhuc in
Gallia moraba-
tur. & Phil. xiii

M. Lepidus imp. iterum, pont. max.

s. d. Ciceroni.

34

supra. ep. 17. &
33. & epist. 10
lib. xi.

Epistola ante
cedenti.

immo ex ipsius
uoluntate. u. de
Dionem l. 46.

SI uales, bene est: ego quoque ualeo. Cum
audissem, Antonium cum suis copijs, praemis-
so L. Antonio cum parte equitatus, in provin-
ciam meam uenire; cum exercitu meo ab con-
fluente Rhodano castra moui, ac contra eos ue-
nire institui. itaque continuis itineribus ad Fo-
rum Vocontium ueni, & ultra castra ad flumen
Argenteum contra Antonios feci. P. Ventidius
suas legiones tres coniunxit cum eo, & ultra me
castra posuit. habebat antea legionem secundam,
& ex reliquis legionibus magnam multitudi-
nem, sed inermium. equitatum habet magnum.
nam omnis ex proelio integer discessit, ita ut sint
amplius equitum xx . itaque ad me complures
milites, & equites ab eo transierunt: & in dies
singulos eius copiae minuuntur. Silanus, et Culeo
ab eo discesserunt, nos, etsi grauiter ab his laesi
eramus, quod contra nostram uoluntatem ad An-
tonium ierant; tamen, nostrae humanitatis,
& necessitudinis causa, eorum salutis rationem
habuimus.

habuimus . nec tamen eorum opera utimur ; neque in castris habemus ; neque ulli negotio praefecimus . quod ad bellum hoc attinet , nec senatui , nec reip. deerimus . quae postea egerimus , faciam te certiozem . Etsi omni tempore summa studia officij mutuo inter nos certatim cōstituerunt pro nostra inter nos familiaritate , & proinde diligenter ab utroque conseruata sunt : tamen non dubito , in tanto & tam repentino motu reip. quin non nulla de me falsis rumoribus a meis obrectatoribus , me indigna , ad te delata sint , quae tuū animum magnopere mouerent pro tuo amore in remp. ea te moderate accepisse , neque temere credendum iudicasse , a meis procuratoribus certior sum factus : quae mihi , ut debent , gratissima sunt . Memini autem & illa superiora , quae abs tua uoluntate profecta sunt ad meam dignitatem augendam , & ornandam : quae perpetuo animo meo fixa manebunt . Abs te , mi Cicero , magnopere peto , si meam uitam , studium diligentissime superioribus temporibus in rep. administranda , quae Lepido digna sunt , perfecta habes , ut paria , aut eo ampliora reliquo tempore expectes , & proinde tua auctoritate me tuendum existimes , quo tibi plura tuo merito debeo . Vale . xii . kal . Iun . ex castris , ex Pont. Argēteo .

ep. 4. & 5. l. 3.
proinde pro per
inde , ut etiam
apud Terentiū,
& in his epist.
saepe .

Philipp. 5.

Argenteū amī
nem Plinius no
minat in Gallia
Narbonensi .



ARG. Antonij recepti causam confert in milites suos
dissensionem ciuium inique ferentes.

Lepidus imp. iterum, pont. Max. s. d.

S. P. P. L. Q. R.

35

SI uos, liberiq. uestri ualeatis, bene est: ego
quidem ualeo. Deos hominesq. testor, P. C. qua
mente, & quo animo semper in remp. fuerim,
& quam nihil antiquius communi salute, ac li-
bertate iudicari. quod uobis breui probassem,
nisi mihi fortuna proprium consilium extorsis-
set. nam exercitus cunctus consuetudinem suam
in ciuibus conuersandis, communiq. pace, sedi-
tione facta, retinuit; meq. tantae multitudinis
ciuium Romanorum salutis, atque incolumitatis
causam suscipere, ut uere dicam, coegit. in qua
re ego uos. P. C. oro, atque obsecro, ut, priuatis
offensionibus omissis, summae reip. consulatis; ne
misericordiam nostram, exercitusq. nostri in ciui-
li dissensione sceleris loco ponatis. quod si salutis
omnium, ac dignitatis rationem habueritis: me-
lius et uobis, & reip. consuletis. Data IV. kal.
Iun. a Ponte Argenteo. Valete.

hoc & Dio, &
Velleius, & alii
prodiderunt.
hostis tamē Le-
pidus iudica-
tus est.

CICERO



CICERONIS EPISTOLARVM,

AD CASSIVM, ET ALIOS,

LIBER XI.

ARGVMENTVM.

Queritur tyranno occiso, tyrannidem tamen non esse sur-
blatam: Calsiumq. hortatur, ut una cum M. Bruto, eius uxo-
ris fratre, omni perturbatione temp. liberet.

Cicero s. D. C. Calsio.

INEM nullum facio, mihi crede, Cas-

si de te, & de Bruto nostro, id est de to-

ta rep. cogitandi; cuius omnis spes in vo-

bis est, & in D. Bruto: quam quidem iam ha-

beo ipse meliorem, rep. a Dólabella meo prae-

clarissime gesta. manabat enim illud malum ur-

banum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego

quidem & urbi, & otio diffiderem urbano: sed

ita compressum est, ut mihi uideamur omne iam

ad tempus, ab illo dumtaxat górdidissimo peri-

culo, tuti futuri. reliqua magna sunt, & mul-

ta, sed posita omnia sunt in uobis. quamquam

primum quidque explicemus. nam, ut adhuc

quidem actum est, non regno, sed rege liberati

uidemur. interfecto enim rege, regios omnes nú-

tus tuemur: neque uero id solum, sed etiam, quae

ipse ille, si uiueret, non faceret, ea nos, quasi co-

gitata ab illo, probamus. nec eius quidem rei fi-

nem uideo. tabulae figuntur: immúnitates dantur:

pecuniae maximae describuntur: exsules reducem-

tur:

ep. 14. lib 9.
Phil. 1.

quod ab infima
plebe bonis ui-
ris impēdebat.

quae se factu-
rum, leuiter, &
uix significauit

haec omnia cū
faceret consul
Antonius, in
CON MEMARIIS

